

B. m. II 120.
h. 29, 2.

(K 187 7903)

(s)

J. HEIDEL

II k
5226

Diss. Ordinar. ex Jure Gentium,

De

**REPRÆSENTATIVA
LEGATORUM QVA-
LITATE,**

Qvam

Auspice Numine

PRÆSIDE

HENRICO COCCEJO,

**J.U.D. & Pand. Prof. Ordin. p.t. RECTORE
MAGNIFICO,**

Publico sistet Examini

JOH. JOSUA Rader /
Lindav.

Ad diem ult. Decembr. M DC LXXX.

H. L. Q. S.

HEIDELBERGÆ,

Literis SAMUELIS AMMONII, Univ. Typogr.



THESIS I.

HOrrendum sane vulnus naturali, quæ inter homines est, societati *bello* infligitur; quo illa stragibus fatiscit, cædibus squalet, in odia, vastitates, quin in feritatem prope dissolvitur; & quod in omni justitia sanctissimum est, *ne homo homini infidetur*, suffragante, ceu alibi ostendimus, ipsa quoque naturæ lege, violari fas dicitur.

2. In bellis igitur homines quidem cladibus ac nece, at illa, quæ inter homines est societas, vulnere saltem affligitur: quippe quæ bello non interit, sed satia saltem fit, & coalescit id vulnus, ubi injuria depulsa, & jus quod denegari fertur, vindicatum fuerit. Neque enim semper civitas eam salutem ac pacem redimit ultima strage, qua quicquid fuit resistendi facultatis, devicto excutitur, sed pactionibus quoque sapienter obtinent, si vel invicem satisfacere, vel remittere de jure parati sunt.

3. Nemo vero harum pactionum nuncius seu pararius esse posset, propter illam, quæ in bello legitima est, sæviendi nocendi que invicem licentiam, nisi in nuncios hos illa cohabeatur, & eadem ins, quæ in pace viget, securitas sanciatur. Hoc igitur jus inviolabilitatis per naturam quoque sanctum est, quia per eam necessarium est: Omnia enim omnino à natura vel injuncta vel concessa sunt, sine quibus ejus decreta aut jura explicari nequeunt.

4. Unde infertur, hoc jus securitatis seu inviolabilitatis, quod ex singulari hoc naturæ seu gentium iure descendit, esse eorum legatorum qui inter hostes mittuntur: quippe qui in pace mitti solent, jure communi tuti sunt: qualiscunque enim sit securitas, quam legatus prætendere merito potest, eam omnem jure quoque communi habet, ut privilegio opus non sit. Quod enim à non nullis Hoc jus inviolabilitatis etiam extenditur ad pœnas delinquentium & obligationes, ne inde conveniri possint, non placet: quia securitas tantum à lœdendi libidine, non impunitas ipsis à delictis conceditur, & jus quod bello extinctum est restituitur, non etiam id, quod ne in pace quidem obtinet, concessum intelligitur.

5. Hoc ergo jus, ut legati tales sint inviolabiles, ipsa natura constituit, & proinde omnibus nunciis in bello ad hostem missis, licet tubicines saltem sint, id commune est. Sed præter illud duo ad-

huc

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



huc spectantur in legatis: sc. 1. vis & autoritas tractandi & negoti-
andi nomine mittentis, quam ex mandato, quo ipsi id committitur,
habet. 2. Dignitas quædam, qua repræsentat ipsum Principem mit-
tentem, quam consequitur tali charactere à mittente sibi concessa.
Hæc duo scite conjunxit Cicero *Orat 50.* seu, *Philip. 8.* ubi legato P.R.
tribuit, *autoritatem reip. & faciem senatus*, ita enim de C. Popilio,
P. R. legato loquitur: *Senatus faciem secum attulerat, autoritatem Reip.* Per faciem enim intelligit illam imaginem, seu qualitatem
repræsentativam, qua legati referunt personam & faciem quæsi mit-
tentis, qui tunc erat senatus, quippe qui vice populi consulebat
Reip. & legatos mittebat: per *autoritatem* autem intelligit ipsam
potestatem agendi nomine totius populi seu Reip. Rom. Eodem
fere modo *Tacitus* illa duo conjungit *lib. 1. Hist.* ubi de legatis Gal-
bae, inter quos debebat esse Piso, ait; *Quod legati autoritatem Sena-
tus, Piso dignitionem Cæsaris referre debuerit; à Senatu enim missi &
mandatis instructi videbantur; Piso autem ideo additus, ut ipsius
Imperatoris personam referret.*

6. Prius illud, *mandatum* sc. itidem omnibus nunciis publicis
commune est, sine quo nemo quicquam in publicis agere potest:
Etsi enim in privatis negotiorum gestores admittuntur sine man-
dato; publicis tamen nemini sua sponte immiscere se permittitur.
Solent autem illa mandata hodie vulgo *Instructiones* dici, de quib⁹
nunc non agimus.

7. Alterum autem, scil. *repræsentativa illa qualitas*, quam nunc
solam tractamus, non omnibus nunciis competit, sed iis tantum,
qui sub hoc charactere in specie mittuntur; Etsi enim alii quoq; sint
nunci publici, qui honestiore sunt conditione ac loco, prout sc. di-
gniore titulo, atque officio mittuntur: cum officiis publicis hone-
stioribus aliás quoque dignitas annexa esse soleat; non tamen fa-
cile ad id fastigii evrehuntur, ut Principem ejusve dignitatem re-
præsentent.

8. Hæc igitur repræsentatio non est ipsa dignitas Principis, sed
ejus quædam imago & umbra; qua legatus non fit Princeps, sed ali-
quam Principis ideam ac formam refert. Neque proinde dignitas
legati par est dignitati Principali, sed ita ei similis ut imago rei,
idea veritati, umbra corpori; ex qua ratione jura & dignitas lega-
torum facile restringi, & à juribus ac ordine verorum Principum
secerni possunt.

9. Nam I. non valet illa repræsentatio, quando legatus concurrit seu comparatur cum alio vero Principe; hic enim et si Dominus legati inferior sit, legato tamen præfertur, cum imago & veluti umbra rei non sit potior ipsa re, fictio veritate. Quam rationem ceu naturalem, allegat quoque JCtus in l. 23. pr. Lib. Et postum. indeq; concludit, filium, qui à patre emancipatus iterum arrogatur, potius tamen pro naturali habendum, addita ratione; ne *imagine* *veritas* *naturæ adumbretur*; licet alias adoptio idem valeat, quod generatio. Sic bonæ fidei possessor habetur pro Domino, l. 146. R. I. & perinde rem vindicat; tot tit. d. Publ. in rem act. at verus tamen dominus, si concurrit cum possesore, omnino præfertur, opposita exceptione justi dominii, l pen. d. tit. Jus ex præsumptionibus & conjecturis sèpius inducitur, ac si vere esset, & eadem est vis taciti & expressi: Si tamen collidunt conjecturæ & rei evidentia, tacitum & expressum, omnino potiore est evidentia & expressio l. 25. §. 1. Legat. 3. l. 137. §. 2. in fin. V. O. Eodem modo legatus, tanquam imaginarius & victitius Princeps dignitatem veri quidem Principis refert, at huic, si concurrat, omnino ratione quoq; naturali concedit.

10. Cum igitur non concurrant legatus & Princeps, quando in diversis sunt collegiis, legatus in superiore collegio locum retinebit, si Princeps ipsius membrum sit illius collegii, licet in inferiore collegio sint veri Principes: non enim hoc casu personæ collegiorum, sed collegia & corpora conferuntur, & quæque persona ratione sui tantum collegii aut confessus priorem vel inferiorem locum obtinet, non vero ratione alterius, in quo nullum locum, adeoque nec priorem nec deteriorem habet: qui in omnibus Imperii constitutionibus perpetuus est subscriptionum ordo, cuius vigore 1. Electores, 2. Horum legati; 3. Principes Ecclesiastici, 4. Horum legati; 5. Principes seculares, 6. Horum legati; & sic deinceps collocantur, ut semper legati veris dignitatibus in eodem collegio cedant, in alio inferiore autem præcedant. Unde quoties more receptum, ut in processu publico singuli tantum ordines seu membra inter se conferantur, legatus, si cum Principe concurrat, ejusdem duntaxat ordinis honestiore latere, non autem ipso ordine Principi cedit.

11. Falluntur igitur omnino Pascalius, Zoucheus, aliiq;, qui legatos alteras seu geminas Principum personas ita esse statuunt, ut idem omnino qui Principi honor ius debeat; excepto saltē

Prin-

Principe ad qvem missa est legatio, quippe qui in proprio territo-
rio potior sit, & aliud specialiter moribus Germanorum saltem in-
valuisse. Horum & sententia & argumentatio multa peccat, ut par-
tim ex jam tradita ipsius repræsentationis natura patet.

12. II. Ex eadem repræsentationis figura sequitur, quod hæc
legatorum dignitas tantum obtineat, quatenus & quamdiu Princi-
pem repræsentant; nim. in negotio ipsis commisso; quo peracto,
licet adhuc subsistant in eodem loco, definit hæc dignitas repræ-
sentativa, et si inviolabilitatis jus nondum cesseret; quippe quo con-
tinetur, ut toto itinere & donec reversi fuerint, securitate ista, quæ
alias sine effectu esset, gaudeant. Durante autem negotiatione o-
mnia legatorum jura & ipsa quoq; dignitas repræsentativa non in
actibus modo ad legationis negotium pertinentibus, sed aliis quo-
que observanda sunt, quippe quæ legatis toto illo tempore sine
interruptione cohærent. Suntque hæc fere quotidiana.

13. III. Sequitur inde, quod legati non possint sibi arrogare
ea, quæ vel sua natura vel moribus & jure gentium ipsis personis
verorum Principum sunt propria & quasi reservata. Ita legati non
utuntur titulis ipsis Regum ac Principum v. gr. Invictissimi, Sere-
nissimi &c. neque ornatu eorum proprio, aliisve vero Principi re-
servatis insignibus: unde nec mensæ, quæ in solennibus curiis
Imperatoris cuique Electorum parata est, legatis assidere licet. per
Aur. Bull. tit. 24. §. Quandocunque.

14. Hanc qualitatem seu dignitatem repræsentativam tam-
tum concedere possunt illi qui habent veram: quia is demum alii
potestatem aliquam committere potest, qui ipse eam jure proprio
non alieno beneficio habet. per l. 5. iurisd. l. 5. off. ejus cui mand. test.
eleg. in c. 1. de Ord. in 6. id enim aliis demum concedere possumus
quod nostrum, non quod alienū est, & ille demum alii quid comittit,
qui ipse negotii dominus est. l. 1. l. 33. §. 3. l. 67. & pass. ff. procur.

15. Unde efficitur, quod legati aliis hanc qualitatem concedere
non possint, quia eam non suo sed vicario jure habent, quo aliū
repræsentant; per §. preced. neque legatus per alium repræsentari
potest, quia imago non est imaginis sed rei, nec fictio fictionis, aut
umbra umbræ sed corporis, scil. ipsius Principis, cuius dignitatem
legatus alii committere nequit. Delegatus quidem Principis sub-
delegare potest. l. 1. tit. pass. X. de off. de leg. sed id inde est, quia nego-

trium delegati, quod est jurisdictione, non est ita proprium Principi, quin alii quoque ejus sint capaces, & committere aliis quoque possint.

16. Aliud statuendum de tutoribus & curatoribus Principi, quippe quidomini loco sunt, neque alicujus negotii, sed universi territorii ejusque jurium regalium, inter quae est jus mittendi legatos, administrationem gerunt, adeoque eadem qualitate qua domini legatos mittere posunt: uti quotidie fit.

17. Committi vero hanc qualitatem omnibus posse, nihil videtur impedire, si absolute de jure mittentis quasras, cum in potestate Principis sit dignitates, cui velit, conferre; & mendicos quoque legatos egisse, & Ludovicum XI. Galliarum Regem tonsorem suum legatum ad Aurelianensem, & Galeacium Mediolani Ducem obscurum hominem ad Regem Galliarum misisse Cominatus refert; & occurunt hujus rei exempla passim alia. Convenientius tamen est, si in primis rationes politicas spectes, ut persona respondeat muneri injuncto, tum ratione generis, tum ratione doctrinæ & rerum experientiæ; nec desunt exempla eorum legatorum, qui propter obscuritatem non admissi sunt; & tonsor ille, quem antea diximus, legatus Regis Galliarum, ab iis, ad quos mittebatur, fere trucidatus fuit; cum ad contemptum ejus, cui legatio mittitur, pertinere videatur, si nimis viles & obscuri mittuntur.

18. Eo autem fine illa representatio inventa videtur, ut negotia majore autoritate & efficacia explicare, & facilius in presentiam Principis ac colloquendi familiaritatem admitti possint legati; quibus autoritas & dignitas facilem cum ipso Principe consuetudinem conciliat.

19. Effectus ejus sunt, ut iidem, qui Principi, honores legato exhibeantur; juxta proportionem & limites, quos antea monstravimus. In quibus spectandum tum officium ipsius legati, tum Principis ad quem mittitur. Ipse legatus non tantum potest, sed & tenet ordinem dignitatis domini sui religiosissime servare, cum nihil ipse possit de Majestate ac juribus domini suorum remittere. Unde Arsaces, Rex Persarum legatum suum Orobazum, quod Syllæ, ad quem misus fuit, loco cesisset, reversum capite punivit: trahi enim id quodammodo ad crimen vulgare violatae Majestatis potest, si quis, in primis legatus dignitatem Principis sui ita profanet, eique in loco, ubi de ipsius præjudicio agitur, detrahatur, arg. L. 4. §. ult.

1. & ff. ad L. Jul. Maj. Princeps vero, ad quem mittitur legatus, honores solitos, de quibus nihil nunc dicimus, ei denegare non potest: unde saepius iis non exhibitis legati re infecta discesserunt.


20. Etsi autem legatus nihil mutare hic possit, sed præcise tenetur jura Principis sui custodire, in Principe tamen, ad quem idicata est legatio, distinctio quædam est: alia enim sunt honorum argumenta, quæ ex quadam juris obligatione nascuntur, ita ut omittere ea Princeps sine injuria non posse; alia, quæ vel ex humanitatis, magnanimitatis, alteriusve virtutis officio, vel ex mero affectu descendunt: quæ ab hujus materiae scriptoribus semper fere confunduntur. Imprimis autem hæ distinctiones attendendæ sunt in quæstione, quid Principi liceat in legatum ejusve familiam v. g. si legatus deliquit: verisimum enim est, eum à Principe, in cuius est territorio, puniri posse, nec jus gentium, quo sancti sunt legati, ipsi prodesse; quippe ius tam sanctum non patrocinatur ullo modo sceleribus & facinoribus, neque legitimam juris executionem, sed hostilem violentiam tollit: id, inquam, constituit, ne ut hostem legatum tractare, non vero, ne fontem punire liceat, & legum vim securitate legationis firmat, non impunitate delictorum solvit. Neq; unquam aliter locuti sunt veteres autores, qui tantum securitatem legitimam & inviolabilitatem, nunquam vero scelerum impunitatem in territorio, in quo degunt, ipsis tribuerunt, vid. loc. alleg. à Grot. l. 2. c. 18. & in not. ib. Verum Principes hoc jure rarius utuntur, tum ex stimulo quodam generositatis, tum in honorem Principis, quem legatus repræsentat: nam ob venerationem Principalis ac Régiae dignitatis, quæ ipsis cum iis, qui miserunt legatum, communis est, solent potius legatum, qui illius dignitatis imaginem refert, Principi suo remittere. Nota in hanc rem sunt exempla Henrici IV. Regis Galliarum, Elisabethæ Reginæ Angliae, & Cromwelii tyranni, quoru illi generosius & remissius egerunt, dimisso legato, hic jure suo usus est, quod factum Zoucheus, alias dissentiens, defendit integro tractatu de legati delinq. jud. compet. quæ nunc exequi non licet. Possent & deberent hæc omnia exemplis uberiori illustrari, sed iis in his exercitiis lubentius abstinemus, contenti generalia saltem capita hujus materiae, quasi per indicem ostendisse.



COROL.

COROLLARIA.

1. Ex suo potius affectu quam ex vero dixit Hanno Carthaginensis, cum in Annibalem declamaret in Senatu, cum legatis in castro non admissis, jus gentium sustulisse. *Liv. lib. ii.*
2. Optime apud Romanos, cum Tarquiniorum legati nisi essent commissari, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuisse dicitur *Liv. l. i.* inde autem pessime concluditur, quod jure gentium non potuerint eos punire Romani.
3. Ex loco Sallustii, *de Bell. Jugurth.* Fit enim magis ex equo & bono, quam ex jure gentium *Bomilcar.* male infertur, legatos delinquentes a Principe, ad quem missi, puniri non posse, cum directo contrarium inde conficiatur.
4. In d. loco per equum & bonum ipsum jus intelligitur; per l. i. in fin. princ. ff. de Just. & Jur. per jus gentium autem jus illud securitatis, quod alias legatis competit, sed quod autor ille ad istum casum delicti applicari non potuisse censet.
5. Jure Veneti proditores patriæ suæ ex ædibus legati gallici traxerunt; præprimis cum ultro eos extradere nollet. *Parut. in a. 1541.*
6. Licet laudabilius sit in honorem & reverentiam dignitatis, quam refert legatus, Principi ipsius hæc omnia committere, & de jure suo aliquid concedere.
7. Cum Reginaldus Polus Anglus à Rege suo proscriptus à Papa ad Regem Galliæ mitteretur, non quidem hic tenebatur petenti Regi Angliæ eum restituere, at alia legatione postea in ipsam Angliam functus, jure capi potuit. *Zouch. de Jur. int. Gent. p. 2. §. 19.*
8. Non tantum autem Rex sed & Pontifex eum ob delictum, cum nollent tradere, ipsi punire sed causa cognita de jure tenebantur.
9. Legatus Philippi ad Annibalem societatis jungendæ gratia missus jure à Romanis comprehensus est, etsi dubius adhuc hostis esset, ejusque dimissio meri ipsorum arbitrii fuit. *Justin. lib. 29. c. 4.*
10. Cùm Ferdinandus & Isabella, Reges Hispaniæ ad pacem pangendam Archiducem Austriæ cum amplissima potestate, sed arcana simul instructionibus misissent, pax rata haberi debuit, etsi contra tenorem arcana instructionis pepigerit. *Grot. lib. 2. cap. 11. §. 12.*
in not. ubi exemplum ex Guicciard. allegat.



AA
77
3226

§. 18. Pulchra tractanda restant, sed in pauca contrahemus. Q. 1. An emitor restituere debeat rem cum fructibus? Aff. de jure *contra DD. comm.* & Pinell. d.l. 2. c. 4. per tot. secus in praxi. Q. 2. An venditor premium cum usuris? Neg. nisi eas perceperit. contr. Covarr. 2. V. R. 3. num. 9. & ib. all. Q. 3. An pignus ab emtore constitutum resolvatur? Neg. l. 48. §. 8. de *Ægil.* ed. cùm Lauterbach. & Zœs. num. 33. de *Rescin.* vend. Scotan. Disp. 37. th. 28. Q. 4. An idem utrinq; premium spectetur? Affir. sc. verum, quod fuit tempore contractus, contr. Zœs. d.l. n. 29.
Quæ, ne nimium excrescat disputatio, prolixius jam non persequimur.

FINIS.



1077

B.M. II 120.
b. 29, 2.


Diss. Or

REPR
LEG

HENF
J.U.D. &

Ad di

Literis SA



03)

utium,

IVA
A-

EJO,
TÖRE

pogr.